Quelle: http://manuscripta.at/?ID=763
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

perpetua pietate · deinde sequitur. Et annue omnium fidelium · festivitati novenerumque lectionum diebus psalmus De profundis cum collecta fidelium dicitur. exceptis in festa tricesimi fratrum et sororum diebus. Sequitur psalmus · Laudate dominum omnes gentes. Cum gloria patri. Versus Ostende nobis domine. Domine exaudi orationem meam. Oratio. Actiones nostras quesumus domine aspirando preveni et adiuvando prosequere ut omnis oratio et cuncta nostra operatio a te semper incipiat et per te incepta finiatur · Per dominum nostrum et cetera. Quibus finitis a presidente signum infertur. Adiutorium nostrum · conventu respondente · Qui fecit celum · Deinde sequitur benedicite. Sic per totum annum finitur capitulum · exceptis diebus videlicet a cena domini usque ad octavas pasche. A vigilia penthecostes usque ad octavas. A vigilia nativitatis domini usque ad octavam apparitionis ubi nullus psalmus pro defunctis dicitur.

## Quo tempore loquendum et quo silendum sit et quando et unde loqui debeant.

A primo signo vesperarum usque post cenam silentium tenemus. Post cenam autem per obedientiam silentio soluto in uno loco loquimur usque ad lectiones collationis. Qua inchoata usque post primam diei sequentis non loquimur · nisi necessitas quempiam loqui compellat · post capitulum accepta loquendi licentia ut primum queratur regnum dei officium presentis diei communiter providetur. Proinde iniuncta sibi quisque negotia exequatur. Nichil tamen interim loquentes quod sanctitatem loquium minuat carentium · sed omnia eorum in laudem dei resonent colloquia donec. Signo tercie edito per ordinem se constringant silentio · in quo perseverent donec prandio finito et nona cantata de choro egressi per obedientiam loquendi recipiant licentiam. Quem ordinem toto anno observandum est · exceptis ieiuniorum diebus in quibus none precedunt cenam. Cena facta immediate solvitur silentium. Tunc ut prefatum est de divino tractent sermone · de vespertinis et matutinis similiter officiis · unde sermonem tantum habeant de spiritalibus · de utilitate · verbi gratia ut invicem se castigare poterunt · invicem adhortari · invicem consolari. Siquid habent dicere vel docere quod aliis horis sine loquela facere non possunt · hoc erit ista hora faciendum · sicut est descriptum in suis · de ordine suo · de consuetudinibus ecclesie · et temporalibus rebus · et de his quoque quibus si temporalis vita careat non potest · quo facto per obedientiam loquendi et operandi teneant regulam quousque sonantibus vesperis ad priorem silentii redeant consuetudinem.

## De confessione fratrum et communione.

Sane et hoc utile duximus propter infirmiores qui suos refugiunt fateri excessus · ut certis ebdomadibus semel singuli suis faciant confessiones. Quod si quis neglexerit notabilis iudicetur. Item sentientes de fratribus iuvenibus in presbiteratu constitutis et laycis sacre communioni appropinquare iuxta consuetudinem laudabilem in nostro monasterio ab antiquo observatam causa rationabili cessante.